

in c. 6. de Statu Monachorum, ibi: Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Deinde nec per Episcopatum dissolvitur Religionis vinculum, sed tribus votis adstrictus adhuc manet Religiosus, etiam Episcopus factus: quamvis in pluribus ejus obligatio varietur: siquidem ipse jam non sua Religioni, sed sua Ecclesiae acquirit. c. 18. q. 1. nec Praelatis Regularibus, utpotè in altiori gradu constitutus, obedire tenetur, sed Romano Pontifici: deferet tamen Religionis habitum cum ceteris insignibus Episcopalibus. L. 26. tit. 7. p. 1. quod si renuntiet Dignitati simul, & gradui ad monasterium redire, & ut prius Praelatis obedire tenetur. Si Religiosus fiat Parochus Ecclesiae Secularis tenetur habitum deferre, castitatem ex voto servare, & non habere proprium: & si Ecclesia est totaliter Monasterio subjecta tenetur suis Praelatis obedire, eisque rationem reddere. Si tamen Ecclesia est subjecta in spiritualibus Episcopo, ipsi Parochus Religiosus, obedire debet, eisque rationem reddere: & Horas Canonicas secundum Episcopatus consuetudinem, dicit, & recitabit: sed si Episcopo, sive Abbati talis Parochus subjectus sit, eximitur à jeuniis, silentio, & vigiliis per regulam indictis. c. 2. 16. q. 1. l. 26. tit. 7. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. tres cosas. Deinde: professio tollit irregularitatem ex defectu natalium ortam, quoad Ordines, & beneficia, secus quoad Praelaturas. Etiam extinguit omnia vota, & juramenta pia, quae non sunt facta in favorem tertii. c. 4. de Voto. Professio item dirimit matrimonium contrahendum, & dissolvit, etiam quoad vinculum jam contractum, dummodo tantum ratum sit. c. 2. c. 7. c. 14. de Convers. conjugat. quod si post matrimonium consummatum conjux in casu permissio Religionem ingrediar, inducit divorcium inter professum, & conjugem in saeculo relictam. c. 19. h. t. non tamen vinculum solvit. Si Religiosus, quando proficitur in gratia sit, plenam peccatorum, quoad poenam, consequitur remissionem; arg. c. 78. §. His auctoritatibus, de Penit. D. 1. Et quoad hunc effectum vocatur professio secundum baptismam à D. Hieronymo, D. Bernard. & alii: quae quidem remissio non sit per indulgentiam plenariam concessam à Pontifice: sed professio ipsa hac virtute condonandi poenas potitur ex vi, & merito ipsius operis excellentissimi, quod excedit quam-

cumque satisfactionem peccatis debitam. Sic ex D. Bernardo, D. Thoma, & alii asserunt Sanch. in Decal. lib. 5. c. 5. ex n. 1. & idem affectus obtinetur per vota simplicia bene in Societate.

302 Plures equidem incipiunt aedificare, qui secundum fragilitatem humanam aedificium, vel opus inceptum perficere, & consummare non valent: quin, & D. Hieronymo teste, coepisse multorum est, paucorum autem ad culmen pervenisse. Solet profecto accidere, quod aliqui manum mittunt ad Religionis aratrum, & postea retrò respicientes Religionem deserant. Quatuor igitur modis deseritur Religio. 1. reclamando contra valorem professionis. 2. voluntarie deseritur per transitum ad aliam Religionem. 3. necessario, per expulsionem. 4. sacrilegè, per apostasiam. Et quidem 1. quilibet Religiosus, qui suam professionem nullam dicere intendit, vel quia per vim, & metum dicat, se Religionem ingressum, vel ante aratem legitimam fuisse professum, vel quid simile: & velit habitum dimittere, religionemque deserere; potest ex *Urid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* adversus suam professionem coram suo Superiore Regulari immediato, & simul coram Ordinario, hoc est Episcopo, in cujus Diocesi est situm Monasterium, vel ejus Vicario Generali, reclamare intra quinquennium, numerandum à die professionis, & etiam ultra quinquennium reclamare valet, si legitima causa subsit: v. gr. quia professus ignoravit suae professionis nullitatem, vel alio justo impedimento obstante, non potuit reclamare: cum legitime impedito tempus non eurrat. c. 5. de Conces. praebend. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 7. cap. 4. n. 6. Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3.* & alii contra *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 27. n. 19. Rodrig. & alios.* Quod si antea talis professus habitum spontè dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittitur, sed ad Monasterium cogatur redire, & tamquam apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suae Religionis juvetur. *Urid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* Si verò sciens suae professionis nullitatem, eam ratificavit, reclamare amplius non potest. Si autem intra quinquennium non ratificavit professionem, non tenetur postea eam ratificare, nec preservare in Religione, sed poterit secluso scandalo occulte Religionem deserere, poteritque matrimonium contrahere: imò, & praelatis, qui de nullitate conscius est, potest hoc ei permitte-

re.

re. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. Sanch. & alii.* Religionem etiam posse reclamare contra invalide professum declaratum testatur *Fagnan. in cap. 1. h. t. 10.* Er novissimè id statuit *Benedict. XIV. in Const. Si datam.* An. 1748. ubi decessis variis questionibus, accurate praescribit formam servandam in definienda nullitate professionis, quae debet fieri ordine juris servato, maximaque maturitate, citatis & auditis Monasterii defensoribus sub poena nullitatis. Eodemque modo esse procedendum declarat, si Monialis adversus suam professionem reclamet.*

303 Aliquando, etiam licite deseritur Religio, per transitum scilicet ad aliam Religionem. In Concilio enim Triburiensi in *cap. 1. 20. q. 4.* & postea in *cap. 18. h. t.* concessum fuit, quod Religiosus de una ad aliam Religionem transire posset, si zelo sanctioris vitae, non ex inordinata passione, vellet ad strictiorem Religionem, secundum statum praesentem transire, petita, quidem prius licentia sui Praelati, vel immediati, vel mediati, juxta cujusque Religionis constitutiones: qui licentiam, si justa causa allegetur, profecto concedere debet, ne propositum Divinitus inspiratum videatur impedire: & tunc dimissoria ad Praelatum alterius Religionis concedet, quod si Praelatus injustè licentiam neget, non obstante proterva, & indiscreta ejus contradictione, poterit Religiosus ad aliam Religionem libere transire, *cap. 18. h. t. l. 9. tit. 7. p. 1.* à Religione verò strictiori ad laxiorem non potest transiri, esseque professio nulla, *cap. 10. h. t.* nisi à Pontifice dispensaretur. *Urid. sess. 25. de Reg. cap. 19.* ad aequalem verò potest quis transire de consensu tamen Abbatis. *L. 10. tit. 7. p. 1.* Si Religiosus defacto transcat ad Religionem strictiorem, non teneatur Apostata, nec excommunicationem incurrit, etsi licentia non praecessisset: restituendus tamen est priori Praelato, donec cognoscatur, an Religio, ad quam vult transire, sit strictior, vel non, *cap. 5. cap. 7. h. t. Gonz. in cap. 18. h. t. n. 6.* ubi notat, quod non requiritur, quod nova Religio sit perfectior, sed sat est, si strictior sit. Imò, & si transeat ad Religionem laxiorem sine legitima licentia, non est Apostata: siquidem non simpliciter à vitae Religiosae, sed à certae Religionis instituto talis Religiosus recedit: peccat tamen graviter, & sub Judice est, an excommunicationem incurrat. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. n. 8. Gonz. in cap. fin. de Apostat. n. 4. & alii contra Suar. de Cens. D. 31. sect. 6. n. 4.* Regularis autem Mendicans non potest, nec li-

Tom. I.

citè, nec valide ad Ordinem Monasticum, praeter Carthusianorum transire: & nulliter, si transiret, profiteretur. *Extr. in h. t. int. com.* Item: nullus è Societate potest sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, transire ad Carthusiam, nisi petita, & obtenta licentia à Generali, & de jus licentia potest etiam professus transire ad quemlibet Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium. Qui verò non petita licentia à suo Praelato, vel etiam petita, sed justè negata, ad aliam Religionem, etiam strictiorem transit, non solum illicitè: sed etiam invalide in ea professionem emittet: quia tunc non videtur à Jure concessa licentia, cum non censeatur, talem Religiosum ad frugem melioris vitae transigrare velle, *c. 18. h. t. Sanch. in Decal. lib. 6. c. 7. ex n. 88. & alii contra aliquos apud eundem.* Et quidem ex die, quo quis Novitium novae Religionis ingreditur, secuta postea professione, ei acquirit, si aliquid acquirit: nam cum nova Religio sentiat onus cum alendi, consequens, & justum est, quod acquisitionis commodum sentiat. *Ex L. 10. ff. de Reg. jur. Zabarel. in Cl. 1. h. t. & alii contra Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 32. ex n. 8.*

304 3. Solet Religio, aliquando necessitate deseri, quando scilicet Religiosus ab ea expellitur, & ejicitur. Siquidem ex *Divo Hieronymo in cap. 16. 24. q. 3. Resecanda sunt putridae carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est totum Orbem ejus flamma populata est. Ideo Religiosus si incorrigibilis, & intolerabilis, perniciosusque Religioni sit, etiam invitus potest, & debet, non obstante professione, quantumvis solenni, à Religione expelli, *cap. 10. de Majorit. & obed. cap. fin. de Statu Monach. cap. 7. Ne Cleric. vel Monach.* Et quidem olim Religiosi liberi à suis Praelatis dimittebantur, relaxatis scilicet Religionis votis, ut probat *Poncez, de Matr. lib. 7. cap. 12.* varia testimonia SS. August. Greg. Basil. & Bened. referent. Facit, quoad talem, expulsionem optima ratio quam affert *Ovid. Metam. lib. 1. Cuncta prius tentanda, sed inmedicabile vulnus esse incidendum est, ne pars sincera trahatur.* Hodie Religiosus incorrigibilis tantum censetur, si per annum jejunio, & poenitentia in carcere probatus non respiciat. Ex Decreto Congreg. Cardin. jussu Urbani VIII. apud Barb. in *cap. fin. h. t. in fin.* ubi ad litteram Decretum refert, Moniales tamen ob majus periculum scandali, & sexus ir-

Ecce

gi-

gilitatem non sunt expellendæ inconsulto Romano Pontifice; *arg. cap. 11. cap. 17. 27. q. 1. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 6.* Sic tamen ejectus, Religiosus manet, & consequenter tribus votis substantialibus Religionis ligatus perseverat: non tamen jejuniis, vigiliis, obligatione horarum, & aliis Regulis Ordinis. Nec item ad quartum votum Ordinis proprium, si quod habet, tenetur: siquidem talia solum viventes sub Regula obligant, tenetur tamen habitum deferre, nisi ut regulariter accidit, eo spoliatur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n. 24.* Hinc si ejecti contrahant matrimonium, hoc erit nullum ob solemne votum castitatis, & puniuntur ab Inquisitoribus. *Gonz. in cap. fin. b. t. n. 7.* Qui verò è Societate post vota simplicia dimittuntur, possunt matrimonium, si in sacris non sint constituti, valde, & licite contrahere. Non tamen erit liber à votis, quin, & pro apostata habetur, & apostatarum poenis subjacet ille Societatis Religiosus, qui pravis moribus de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus obtinuit. *Sanch. in Decal. lib. 6. capit. 7. ex n. 60.* Prælatum autem potest talem ejectum, utpotè suum subditum ratione votorum censuris, & aliis poenis ad redeundum cogere. *cap. fin. b. t. & ipse in conscientia tenetur se corrigere, ut dignus redire inventiatur. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 25.* & potest utique Religio eum, si plenè respiciat, nec aliquod timeatur inconveniens, rursus admittere; *arg. cap. 16. b. t. nec tunc nova professione hujusmodi ejectus indiget.* Non tamen tenetur Religio justè dimissum, etiam emendatum, de novo admittere: quia talis justa sententia ex parte Religionis in perpetuum ejectus est: sicut innocens non tenetur adulterum, etiam emendatum, admittere. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. num. 32. Rodrig. Azor, & alii contra Navar. Molin. & alios.* Quod si jam nulla spes reditus sit ejecto, potest hic, vel in sæculo manere, vel aliam Religionem ingredi, etiam invito antiquo Superiore. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n. 54.* Ex motu proprio. *Greg. XIII. in Const. Officii nostri 21. Jan. An. 1577.* bona ab ejectis acquisita ad Cameram Apostolicam pertinent.

305 Denique per Apostatiam deseritur Religio. Religiosus enim aliquando fugitivus: aliquando apostata efficitur. Fugitivus est ille, qui sine Superioris licentia à Religione recedit, sive habitu retento, sive dimisso, vel ita alio cooperto, ut exterius non appareat, sed animo quidem tantum vagandi, non verò Religionem deserendi: & in hoc differt ab Apostata:

quippe talis est, qui recedit à Religione habitu dimisso, vel etiam retento, animo tamen excutiendi omnino jugum Religionis, & nunquam ad ipsam redeundi. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. num. 2.* Apostata siquidem à Religione est, qui postquam in aliqua Religione verè tali, & approbata, emisit tria vota substantialia, non tantum causa devotionis, ut solet fieri à Novitiis, sed ea, quæ verè Religiosum ea intentione constituunt, licet simplicia sint, ut post biennium in Societate sunt, sine Superioris licentia recedit à Religione, verè, & propriè, non animo tantum, sed opere secuto, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi, sive dimisso, sive retento habitu talis recessus fiat; nam sicut habitus non facit Monachum, *cap. 13. b. t. ita nec ejus retentio ab Apostasia excusat. Gonz. in cap. fin. de Apostat. num. 4. Sanch. & alii com.* Qui diutius v. g. per tres, vel quatuor annos extra Religionem vagatur, pro Apostata habetur, donec probet, se animum habuisse redeundi. Beate Tertii Ordinis S. Domini, & S. Francisci, si ab eo statu, etiam post tria vota emissa, in perpetuum recedant, matrimonique copulerent, non sunt verè Apostata. Præterea, fugitivus censetur à *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 4.* Ille, qui recedit à Monasterio sine Superioris licentia, etiam prætextu adeundi Superiorum mediatorum, si ab ipso non vocetur, ad eum, ut etiam Religiosus perpetuo ad carcerem, vel tircenes justè damnatus non possit à carcere, vel tircenibus fugere, ut se Superiori presentet, nisi hoc faciat, ut poenam mortis effugiat: nam tunc certè licitum est à carcere fugere, quod si iniquè ab immediatis Superioribus tractetur, & aliud remedium non habeat, potest Superiorem mediatum adire. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. ex num. 1.* Religiosus, qui ad Urbem rectò tramite accedit, & ibi Secretario S. Congreg. se presentat, etiam sine Superioris licentia, ut à gravaminibus sibi à suis Prælatibus illatis conquiretur, non est Apostata: Si tamen reme- re, vel leviter ad Curiam accederet, ad suos Superiores puniendus debet admitti. Variæ enim adversus Apostatas poenæ infiguntur in Jure, de quibus in tit. de Apostatis. Contra fugitivos quoque tales nullæ sunt Juræ Communi statuta poenæ: Ut contra aliquos tenent *Suarez, de Religi. tom. 4. lib. 3. cap. 1. num. 10. Navar. & alii.* potest tamen, & debet Prælatu Regularis non solum Apostatas, sed, & fugitivos capere, ob ipsorum spiritualium salutem. *cap. fin. b. t.* Et quidem eos ap-

prehendere valer; non solum in territorio proprio, sed etiam in alieno: quia vi obedientiæ ad eum personaliter subduntur Prælatu, ut ubicumque inveniantur hujusmodi Religiosi, possint apprehendi ut accidit in servis. *L. 2. l. 3. C. de Serv. fugitivo.*

306 Hucusque locuti sumus de his, quæ Jure Communi, & aliquibus Constitutionibus Pontificiis statutum est circa Religiosos. Sed cum in singulis Religionibus, variæ Constitutiones, & privilegia uniuscujusque propria reperiantur, hæc ante omnia pro resolutione casuum occurrentium examinari debent. Et hæc ratione in gratiam Missionariorum Indiarum placuit hic inserere privilegia à SS. Pontificibus nostra Societati pro his Indiarum partibus concessa in celebri Constitutione Animarum salutis, cujus tenor talis est.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Animarum salutis paternæ charitate intenti, supplicationibus dilecti filii alicualis Angli Tamburini, Societatis Jesu Præpositi Generali nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigis inbarentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: Omnibus Christianis in quibuscumque Oceani Indis, aut Sinarum Regione, vel Brasilia constitutis presentibus, & futuris, verè poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, quoties aliquem ex infidelitate, & idolatria ad veri Dei cognitionem reducerint, plenariam, necnon eidem etiam verè poenitentibus, & confessis, S. Thomæ Apostoli in Indis præfatis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societ. Jesu Ecclesiis illarum partium Deo, vel in honorem Sanctorum erectis: necnon omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias, Collegiorum, Donorum, & Residentiarum ejusdem Societatis Regionum præfatarum, saltem inter se, per centum millaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus Festis Domini nostri, B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum per dicta Societatis Præpositum Generalem designandis, visitantibus, & inibi SS. Eucharistia Sacramentum sumuntibus, & pro Gentilibus, & Hæreticorum conversione plas ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam:

Omnibus etiam, & singulis, tam Presbyteris, quam aliis de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque India Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione pro Fidei negotio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, & confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter: Scholaribus verò in utraque India existentibus, ac confraternitati B. Mariæ Virginis ibi Canonice instituta adscriptis, qui in Annuntiationis, & Assumptionis ipsius B. Mariæ Virginis Festis dictum SS. Eucharistia Sacramentum sumpserint, & Coronam, vel tertiam partem Rosarii recitaverint, necnon utriusque sexus Christianis aliquam confraternitatem canonicè erigenas ingressis, qui in Festivitate SS. Corporis Christi, & illius Octava poenitentes similiter, & confessi, idem SS. Eucharistia Sacramentum sumpserint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christianis mortis articulo, etiam poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, aut saltem contritis, & confiteri, & communicare non poterint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Scholaribus hujusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem B. Mariæ Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Festivitatibus, si confessi, & contriti præmissa peregerint, decem annorum de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis poenitentibus: Eis quoque, qui in singulis diebus Veneris cujuslibet Quadragesima devotè Processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, & Hæreticorum præfatarum, juxta Ritu Ecclesiæ Romanæ instituti interfuerint, trium annorum: Reliquis verò omnibus eidem Processionibus presentibus contritis, & confessis unius anni indulgentiam elargimur. Quodque pro animabus eorum Christianis, qui in præfatis utriusque India navigationibus pro negotio fidei instituendis, ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sacra Communionem refecti, tertiam partem Rosarii, aut unam Coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus à poenis Purgatorii liberare valeant. Quodque Scholares utriusque India hujusmodi, qui in Scholis Presbyterorum dictæ Societatis dant operam literis in Presbyterorum eorundem Ecclesiis Missas, vel alia Divina Officia tempore interdici, & cessationis a Divini, ipsique Presbyteri eis-

dena Scholaribus presentibus, janalis clausis, & non pulsatis campanis, & dummodo ipsi causam hujusmodi interdico non dederint, ac interdictis, & excommunicatis excludis, audire, & celebrare respectivo possint, concedimus, & indulgemus. Insuper prefatis omnibus, & singulis utriusque regionis Christianis in Indiis, & Regionibus prefatis existentibus, qui contriti, & confessi quamlibet Ecclesiam, & Cappellam in eisdem partibus dictorum Presbyterorum Societatis Jesu cura, & opera, ut supra erectam, aut in futurum erigendam devote visitaverint, & ut supra oraverint, quadraginta dies, & semel quolibet anno, aliquo die festo D. N. Jesu-Christi, B. Virginis Mariae, aut Sanctorum, quem Provincialis dicta Societatis constituerit, septem annos, & totidem quadragenas. Eisdem, qui aliquam ex prefatis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesime, & aliis temporibus Stationum Urbis Dominice, & feria sexta diebus visitaverint, eandem omnes, & singulas indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, & Basilicas Urbis in diebus stationum hujusmodi devote visitarent, qui illisque singulis diebus feria sexta hebdomadae cujusque mensis eandem Ecclesiam devote visitaverint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam, pro exaltatione fidei Catholice recitaverint, septem annos, in festis vero D. N. Jesu-Christi, ac B. Virginis, Apostolorum, sub cujus titulo Ecclesia consistit, decem annos. His autem, qui aliquam ex dietis Ecclesiis, postquam confessi SS. Eucaristia Sacramentum sumpserint visitaverint, toties viginti annos: ac itidem Christianis utriusque Indiae, & transmarinorum limitum, qui Processionibus, & precibus juxta Ritu S. R. E. a prefatis Presbyteris de Ordinariorum licentia instituendis, & agendis Indorum, & Aethiopicum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, & aliorum Christianorum interfuerint, & eas associaverint, Christianam Doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint, septem annos, & totidem quadragenas: incivisibus autem infirmos, & praesertim Indorum Hospitalia, Xenodochia, & alia similia loca pia, ipsis etiam infirmis per se vel alium ministrando singulis diebus, quibus id fecerint, viginquaque, qui vero ad infirmos accedentes, ibi pernotaverint quinquaginta. Eis etiam, qui coram B. Mariae imagine ab Alma Urbe ad Collegium Civitatis Lima in Peru (ut asseritur) velata tertiam partem Rosarii, vel Coronam

recitaverint, centum similiter dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus, ac respectivo concedimus, & indulgemus. Praeterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris cum Neophytis Provincialium utriusque Indiae, aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter Infideles fideles existunt, & non adsunt Ordinarii, similes facultatem habentes, vel ultra duas dietas, juxta Constituit. fel. rec. Pauli III. editam existunt in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contractu, remanere valeant in foro conscientiae tantum, gratis tamen dispensandi: & insuper ibidem eorum Ordinarii, ut de Presbyterorum eorundem, tanquam adjunctorum, & Assessorum suorum in locis prefatis, & ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis, prefatis Ordinariorum presentia destituti, vel ab eis ultra duas dietas prefatas, non minus ducentis millibus passuum remotis Provincialibus, & deputatis Presbyteris, prefatis cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi: & eos, qui in gradibus prohibitis hujusmodi, etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationibus, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolventi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi. Necnon ipsis Presbyteris in eisdem Indiis, & locis prefatis constitutis quibus aliqua Eucharistiae fragmenta, seu minuta pro tempore intercederint, etiam post peractum Sacrificium, absque ullo conscientiae scrupulo, juxta Rubricas Missalis Romani reverenter sumendi. Insuper Presbyteris ejusdem Societatis Jesu, quos in Saracenorum, & aliorum Infidelium terras, & alias utriusque Indiae & Transmarinae Regiones Maris Oceani ad quas Hispani, & Lusitani penetrant, ac Provincias remotissimas, ubi non est Inquisitio, & fideles degunt, neque Ordinarii saltem intra duas dietas existunt hujusmodi facultatem habentes Praepositis Generalis miseris Christianos eisdem Provinciis, Indiis, & Regionibus commorantes ab omnibus peccatis, sententiis, & censuris, etiam in Bulla Coena Domini contentis, & reservatis, etiam gratiosae absolventi facultatem, eisdemque, ut semel ab aliquo illarum paritum Episcopo approbati ad predicandum, confessiones audendas, & Mis-

Missas celebrandum in Ecclesiis, & Oratoriis Societatis Jesu prefatae pro ministeriorum hujusmodi exercitio ulterioribus licentiam, & approbationem ab aliis Episcopis, quatenus distent ultra duas dietas, petere, seu habere, minime teneantur: sed absque illis praemissa facere possint. Si vero Episcopus ab Ecclesia, vel loco, ubi praedicatur, vel confessiones audiuntur, non distet ultra prefatas duas dietas, tunc licentia, etiam alterius Ordinarii, ita vicini prius obtineri debeat, quae tamen per Epistolam, etiam impetrari possit. Possint etiam extra Ecclesias consecratis super altaribus portabilibus in loco tamen decenti, ubi non est commoditas Ecclesiarum, & in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel etiam post meridiem in eisdem Regionibus, cum opus fuerit, celebrare, & in Malaco, Japone, & aliis Insularum, terrarum, Provinciarum, & locorum praefatorum partibus, & locis, a quibus, valde remoti sunt Episcopi, Ovis Sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis liberari possint. Necnon uti quicumque ex prefatis Presbyteris Societatis prefatae tantum Sacrosanctum Missae Sacrificium defunctorum pro animabus Christianis, qui ex hac vita in charitate Christo conjuncti decesserint, in sigillis Ecclesiae Societatis Jesu ad unum illorum superiorum arbitrio semel deputandum altare celebraverint per modum suffragii illis animabus prosint. Postremo itidem Presbyteris a Praeposito Generali ex dicta Societate deputandis, ut in prefatis Regionibus, Provinciis, & locis, in quibus similiter fideles, cum Infidelibus vivunt, & non adsunt Ordinarii, qui hujusmodi facultatem habeant, qui distant ultra duas dietas, cum Neophytis, aliisque ad fidem reductis ex rationabili causa, & legitima, super voto castitatis non tamen solemniter, quomodolibet, etiam per Ordinis Sacri susceptionem, vel professionis Regularis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissionem facto, & super matrimonio defacto, & in facte Ecclesia, sive scienter, sive ignorantem contracto, & quovis occulto impedimento, praeter primi gradus propter quod tale matrimonium in conscientia esset invalidum, & contrahentes sine scandalo separari non possent, dispensandi, gratis tamen, & in foro conscientiae tantum: ac super bonis male adquisitis ad quae restituenda ipsi Neophyti, & alii prefati incerti personis obligati extiterint, cum eis ad opera pia componendi, vel si ipsi indigerent in toto, vel in parte restituendi: necnon cum Indis in foro conscientiae tantum, & cum Neophytis in utroque foro super jejuniis, gratis tamen dis-

pensandi: necnon ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non esset licitum illud ratione voti castitatis, vel alia rationabili causa petere in foro conscientiae tantum, & gratis liberandi: licentiamque legendi libros infidelium, ac Haereticorum, necnon quorumcumque aliorum, tam in Indice Romano, quam alias quomodolibet prohibitor, & damnatos ad finem, & effectum dumtaxat hujusmodi libros, vel haereses, & errores in eis contentos confutandi ad breve tempus, vel quovis ejusmodi librorum confutandarum lectio necessaria fuerit personis dignis concedendi facultatem, & potestatem, Apostolica auctoritate, tenore praesentium tribuimus, & impartimus. Missas quoque per horam ante Auroram ipsi Patres Societatis celebrare possint, & cum suis Regularibus, ut ad Sacros, etiam Presbyteratos Ordines per annum ante legitimam aetatem promoveri possint, dispensare valeant, similiter concedimus: & insuper, quia a nonnullis dubitatum, seu hesitatum fuit, an omnes indigenae illarum Regionum oriundi, & naturales, & Christianorum, indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati jure Neophyti appellari possint: idcirco tenore earundem praesentium decernimus, & declaramus, omnes oriundas, seu naturales supradictorum omnium, tam Orientalium, quam Occidentalium partium, imò etiam Aethyopes, Angulani, vel quorumvis aliarum Transmarinarum Regionum, etiam Christianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europaeis mixti progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum esse, & intelligi debere Neophytos: dictosque Presbyteros cum hujusmodi, ut vel matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, & alias ut supra in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus Jure Divino, ut supra non prohibitis, primo excepto, & alias ut praefertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtis progenitis quos mixtos vocant, majus dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum Neophytos censendos esse decernimus, in gradibus, & matrimonii contractis, & contrahendis: prefatis gratis tamen: dummodo non ita facile id fiat, dispensare, eisdemque Presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam: Decernentes Presbyteros dicta Societatis super praemissis, aliis juxta facultates prefatas, & illarum vigore servata tamen illarum forma, exequenda ex quovis

olio pretextu, vel quovis colore per quoscumque loci Ordinarios, seu alios Superiores, & Judices Ecclesiasticos, & Seculares quavis autoritate, fingentes molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus possit. Sicutque in premisis per quoscumque Judices, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, iudicari, & definiti, debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, statuis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Presentibus ad viginti annos à fine aliorum viginti annorum, ad quos similis gratia à sel. rec. Clemente PP. XI. predecessore nostro concessa fuerunt inchoandos, tantum valiat. Volumus autem ut ipsorum presentium litterarum transcriptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dicte Societatis subscriptis, & sigillo Prepositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum habetur, quæ haberetur eidem presentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Decembris M.DCC.XXIX. Pontificatus nostri anno sexto. Deinde Clem. XI. in Brevi. Alias pro parte 11. Jun. 1701. declaravit, appellatione Neophytorum non comprehendi illos, qui ab Indis pro una dumtaxat parte originem trahunt, quos quarterones dicimus: multoque minus qui octavam partem per proavum, vel proaviam, sive ab alterutro, sive ab utroque habent, quos Puchueles nuncupamus. Et addit: Necnon eidem Presbyteris, & Ordinariis servatis locorum circumstantiis, & limitationibus hujusmodi cum eisdem Neophytis in primo gradu, etiam recte linea affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in oculis tamen, & in foro conscientie tantum, ac argentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, & eos, qui in primo affinitatis gradu hujusmodi, etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis aliisque censuris, ac penis Ecclesiasticis in foro conscientie tantum gratis similiter absolventi: Dictisque Ordinariis alios Presbyteros idoneos, ab ipsis prius approbatos, in locis, ubi non desint Missio-

narii similem facultatem habentes, quoad premissa in sui locum subdelegandi licentiam, & facultatem auctoritate Apostolica, tenore presentium concedimus, & impartimus. Etiam declarat, quod in illis verbis: Vel alias conjunctis, comprehenditur facultas dispensandi in cognatione spirituali.

TIT. XXXII.

De Conversione conjugatorum.

307 **C**onversio conjugatorum in presenti, est ingressus alicujus conjugati in Religionem. Si enim matrimonium sit ratum tantum, hoc est, non consumatum copula perfecta, vel quia alter non petit debitum, vel quia alter negavit, sive justè intra bimestre, sive etiam injustè extra illud, potest quilibet ex eis, etiam bimestri elapso, Religionem ingredi. c. 2. C. Ex publico 7. c. 14. b. t. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. L. 13. tit. 7. p. 1. ubi mulieri post diu contractum matrimonium, non tamen consummatum, ingredi Religionem conceditur. D. Bonaz. in 4. D. 27. art. 3. q. 2. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 27. & alii com. Ratio enim hujus permissionis est, quia in matrimonio rato, in favorem matrimonii spiritualis, quod per professionem contrahitur, subintelligitur hæc conditio: Etsi conjux Religionem profiteatur. Professio namque Religiosa, ob sui excellentiam, habet vim dissolvendi matrimonium ratum, & plures ex Divina revelatione hoc jure usos fuisse, constat ex c. 2. b. t. & ibid. Gonz. n. 6. ac proinde hanc matrimonii solutionem, non tam humana, quam Divina autoritate fieri, probari videtur. Ex c. 2. c. 14. b. t. & ita tenent Scot. Abulen. Sot. Gonz. in c. 2. b. t. n. 7. in fin. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 19. ubi plures citat Doctores varie sentientes. Ad hujusmodi ingressum faciendum bimestre assignatur à Jure, c. 7. b. t. Hic tamen terminus potest prorogari, vel etiam restringi à Jure. L. 13. tit. 7. p. 1. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 12. Ponce de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 8. & 9. intra talem terminum potest conjux delibere, an posthabito matrimonio, Religionem ingredi velit. Et idcirco intra illum non tenetur matrimonium consummare, nec debitum reddere: etiamsi non habeat animum ingrediendi Religionem: nam suo utitur jure, & potest fortasse mutare propositum, & Religionem ingredi Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 25. Ponce

de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 7. & alii contra Navar. & alios. Hoc quidem bimestre computandum est à die contracti matrimonii: quod si Jux certum terminum præscribat, ab eo tempore, quo assignavit terminum, menses computantur, & quidem eo modo, quo in Calendario occurrant, & de momento ad momentum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 21. Ponce, de Matr. lib. 9. cap. 7. & alii contra Barbos. in cap. 7. b. t. n. 9. Si intra bimestre conjux Religionem eligat, eam potest ingredi, ut per annum novitarius probet, an velit, vel non profiteri: arg. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. ac per consequens bimestre tantum datur ad deliberandum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 40. Professione tamen emissa in effectu, & non antea, in aliqua Religione approbata, etiam Militari, dum vere Religio sit, qualis est Melitensis, dissolvitur matrimonium ratum, etiam quoad vinculum, & conjux in seculo relictus, potest post alterius professionem, & non antea, novum contrahere matrimonium, cap. 2. 14. b. tit. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. Gonz. in cap. 2. b. t. & alii com. & licet vera Societatis post biennium emissa constituant verè, & propriè Religiosum, ea emittentem, cum tamen non inducant professionem solemnem, cui vis matrimonium ratum dirimendi concessa est, & aliunde nullo privilegio hujusmodi habeant vim, dicendum est, quod matrimonium ratum non dirimunt. Ita Suan. Vazq. Henr. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 18. n. 6. Gonz. in cap. 2. b. t. n. 6. & alii contra Ponce, de Matr. lib. 9. cap. 6. Quod si post bimestre, vel tempus à Jure assignatum mulier sit cognita à conjuge, etiam per vim, cum hic suo jure utatur, nec ipse peccat; nec jam amplius feminæ conceditur transitus ad Religionem, quippe jam matrimonium desinit esse tantum ratum per talem consummationem, cap. 13. b. t. quod à fortiori locum habet, quando copula per actum, etiam gravem, fuit extorta. Sic Ponce, de Matr. lib. 9. cap. 10. & alii contra Sanch. de Matr. lib. 2. D. 22. num. 6. Greg. Lep. & alios, qui insuper valde probabiliter tenent, feminam per vim præcisam intra bimestre cognitam, posse Religionem ingredi, ne jure suo, sine suo consensu per alterius injuriam privetur: ac proinde dicunt, virum illum per vim cognoscentem peccare; quia auferit corporis femine integritatem, ad quod non habet jus intra bimestre. Contrarium tamen tenent. Sylv. Covar. & Ponce, de Matr. lib. 9. cap. 10. num. 3.

308 Licet consummato matrimonio de Jure Civili adhuc liberum esset conjugibus ad Religionem convolare: de Jure tamen Canonico, quod proculdubio in hac materia servandum est, non licet conjugi post talem consummationem, invita parte ad Religionem transire, cap. 1. b. t. quod sanè provenit ex reciproca potestate, quam conjux in alterum conjugem habet, & idèd nequit altero renuente mutare statum, nec ipsum jure per matrimonii consummationem quasito privare: nam ut ait Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: quæ quidem reciproca potestas præcipue datur conjugibus per commixtionem corporalem: nam tunc fiunt una caro, & idèd nullus potest Deo offerre corpus, quod jam non est suum. Ut deducitur ex cap. 2. b. t. Præterea, matrimonium ratum significat charitatem, quæ inter Deum, & animam justam intercedit: consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per humanitatis assumptionem, cap. 5. de Bigam. idèd matrimonium ratum dissolvitur per Religionis ingressum: secus consummatum: sicut illa unio per charitatem solubilis est: secus unio per incarnationem. Gonz. in cap. 2. b. t. Tribus nihilominus casibus potest conjux post consummationem matrimonii Religionem ingredi: 1. Si aliter committat adulterium, cum enim jus petendi debitum perpetuo amittat, nisi innocenti reconclietur, potest innocens adultero invito Religionem ingredi, cap. 21. 27. q. 2. cap. 15. b. t. L. 11. tit. 7. p. 1. 2. Si alter in hæresim, vel apostasiam incidat, & mopitus in errore persistat. Tunc potest innocens ingredi Religionem, cap. fin. b. t. L. 13. tit. 7. p. 1. 3. & præcipue si ambo conjuges mutuo consensu Religionem ingrediatur: vel saltem unus consentiat, quod alter fiat Religiosus: Sed tunc conjux relictus, si juvenis, & suspectus de incontinentia sit, debet etiam Religionem ingredi, cap. 21. 27. q. 2. cap. 1. cap. 13. b. t. L. 40. tit. 6. p. 1. L. 11. tit. 7. p. 1. Si tamen conjux relictus senex, & de incontinentia non sit suspectus, sat est, quod votum simplex continentie emittat, cap. 4. cap. 9. cap. 18. b. t. Quod si senex de incontinentia suspectus sit, ingredi Religionem prorsus debet: & idèd est de juvene, quantumvis honestæ vitæ sit, & in periculum absit incontinentiæ, cap. 1. b. tit. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 32. ex n. 9. & hodie in praxi servatur, quod ad talem mutationem licentia Episcopi accedat, cap. 23. 27.